

2. Utrique autem malo *isosa* *dupla* quam optime medetur frequentiori precum praxi. In hac enim, sabbatismo spirituali juncta, mens recte sibi attendens statim deprehendit, quando, & quomodo ad hanc, vel istam partem a via media declinaverit. Quod quo curatius observatur, & quo fidelius emendatur, ipso in rectam orbitam reditu, eo firmior est gratiae status, & eo constantior ac incitator renovationis cursus.
3. Prima quidem, immo certo respectu primaria digne precantium cura merito est, ut semet ipsos e principio evangelii ad *fidem* excitent; cum, quidquid non sit ex fide, peccatum sit, & precatio, genuina fidei forma haud instructa, sit inanis actio, omnis quaesiti successus expers: at nisi adhibitae *fidelitatis* studio precantis mens sinceritatem suam, demissa agnitorum defectuum ac naevorum deprecatione, & seria excitatione ad praxin officiorum seriam identidem excitaverit, fiducia labem contrahit, sensim in securitatem libertatemque perversae indolis conversa.
4. *Fides* precanti id praestat, ut precari non solum possit, sed etiam velit, & precandi actus non solum habeat pro *officio*, sed etiam pro *beneficio* & singulari privilegio. Quod vero precans per *fidem* in precibus a Deo accipit, id eidem in illis per *fidelitatem* ita reddit, ut semet ipsum ipsi sincere consecret, bonae conscientiae, subinde sub examen revocatae, & sic ipsius etiam baptismi foedere saepius renovato.

PFO